

torum; ibi: « Quia vero ad aures nostras pervenit, non obstante nostra, ac etiam novissimi Romani conc. per Nos habiti, tit. 5, c. 11, sententia, quod regulares vigore suorum privilegiorum tuto, absque novo indulto Apostolico extra tempora Sacris initiantur etiam post (N. B.) Decreta concilii Tridentini, a nonnullis etiam episcopis in dubium revocari, an inter tales regulares, licet indefinite nominatos, recenseri debeant fratres prædicti Ordinis Prædicatorum, motu, scientia, et auctoritate prædictis declaramus, eosdem fratres ex nostra, ac dicti etiam Romani concilii definitione eodem privilegio frui, ac potiri posse, et debere, et quatenus opus sit, pariformiter dispensans super quacunque contraria dispositione, de novo illud idem privilegium pro singulari nostra erga prædictum ordinem, intra cujus dilectissimum sinum adhuc versari gloriamur, dilectione, iisdem Fratribus signanter, specificè, et in individuo concedimus, quatenus a diocæsano, eoque renuente, aut non valente, a quocunque catholico episcopo ordines extra tempora suscipere, et episcopi ipsis conferre libere et licite valeant juxta declarationem S. Pii V, in bulla *Etsi Mendicantium*, et decretum Clementis VIII, et uberius explicata in dicto concilio Romano nostro, tit. 5, cap. 1 et 21, cap. 11. » Sic ibi ad litteram: *Vide* laudatum Bullarium tom. VI, pag. 621, et pag. 733, ubi refertur constitutio Clementis XII, incip. *Cum sicut*, in qua expresse declarat, se in d. const. *Romanus Pontifex* non revocasse privilegia regularium ipsis concessa ante dictas constitutiones Benedicti. Idemque concessit fratribus nostri Ordinis de Observantia in const. *Summe decet*, in qua confirmatis et innovatis centum et tredecim constitutionibus suorum antecessorum Pontificum ibi enuntiatis, pro variis privilegiis Ordini nostro concessis sub. num. 121, inter alia sic expresse concedit, et innovat « Privilegia, et indulta spiritualia, et temporalia, etiam quoad susceptionem sacrorum ordinum extra tempora a jure statuta, absque exhibitione litterarum Apostolicarum in forma brevis, vel expresse, vel per viam communicationis regularibus concessarum, ut nuper a nobis ipsis in concilio Lateranensi, et per congreg. particularem decretum est, aliasque gratias per modum etiam communicationis, et extensionis cum aliis ordinibus Mendicantium, et non Mendicantium, præsertim S. Benedicti, ac quem Nos professi sumus, ordinis Prædicatorum, nec non Societatis Jesu. » Nec dictum privilegium suscipiendi ordines extra tempora ademit regularibus Bened. XIV, in sua

VOTUM PRO ELECTIONE.

Vide verb. ELECTIO, art. 3, et 4, fere per tot.

VOTUM PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONII.

Vide verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, art. 1, a n. 23 ad 26.

const. *Impositi nobis*. Imo tale privilegium eos habere aperte innuit in § *Hæc profecto* expresse dicens: « Neque enim regulares conqueri poterunt, quod recusantibus episcopis sacram ordinationem administrare, præterquam in temporibus ab Ecclesia statutis, eorum privilegia de ordinibus extra tempora suscipiendis, effectu vacua remaneant; episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis regularibus facile inveniunt. » Quid clarius? Nisi torqueantur, et perperam interpretentur dicta verba Pontificis. Vult quidem laudatus Pontifex, quod regulares dependeant, ut par est, a propriis diocæsanis ordinariis pro suscipiendis ordinibus, et ipsis absentibus sacram ordinationem extra tempora ipsis administrare, vel si ordinationem in temporibus ab Ecclesia statutis non sint ipsi habituri, nequeant regulares ab extra diocæsanis episcopis ordinari, nisi secum attulerint authenticam attestationem vicarii generalis, vel cancellarii, aut secretarii ejusdem episcopi diocæsani, ex qua constet, vel ipsum a diocæsi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. Cæterum per omnia superadducta, et signanter per dicta expressa verba ejusdem Benedicti XIV et per constitutiones *Pretiosus*, *Summe decet*, aliasque Benedicti XIII, non revocatas, quoad hoc a Clemente XII, in sua constit. *Romanus Pontifex*, juxta supra allatam declarationem sacre congregationis, viget in regularibus privilegium suscipiendi ordines extra tempora, et extra ipsa possunt proprii diocæsani episcopi eos licite ac tuto ordinare. Sicque servant plurimi episcopi pietate, virtute, et intelligentia Apostolicarum constitutionum conspicui, regulares omnes suæ respectivæ diocæsines sine alio, et illos aliarum diocæsines cum supradicta authentica, sine ullo scrupulo in dies ordinando, et in traditis de administrata ordinatione documentis apponendo, eos regulares sic extra tempora ordinasse vigore suorum privilegiorum, et plura similia documenta egomet ipse vidi, et alii alia de recenti videre. Alia ad rem *Vide* in *Supplem. verb. ORDO, ORDINARE*, et toties laudatum D. Alfonso de Liguori in suo novissimo opere edito 1759, cap. 20, ponto 4, § 2, num. 115. Videatur insuper constit. Benedicti XIII, incip. *Libenter*, § 18, pro inclyto ordine Eremitar. S. Augustini, ubi id eis competere declarat, et decernit, et quatenus opus sit, super quacunque contraria dispositione dispensat, ac de novo privilegium hujusmodi eis concedit.

USUCAPIO, SEU PRÆSCRIPTIO.

Quoad ea, quæ concernunt naturam, effectum, et condiciones usucapionis, seu præscriptionis.

(1. Præscriptionis nomen sumitur dupliciter, scilicet generatim, et magis proprie. *Communis*. (2. Præscriptio generatim sumpta idem est ac exceptio, sive oppositio ad excludendam actionem, seu intentionem alterius; sic accipitur præscriptio in l. *Sed et si*, § *Ultimo*, ff. De judiciis, et in toto tit. ff. et cod. *De exceptionibus, et præscriptionibus*. (3. Præscriptio magis proprie sumpta idem est ac exceptio peremptoria, per quam possessor bonæ fidei post decursum certi temporis a lege definiti, potest repellere dominum rem suam pristinam repetentem, vel antiquo suo jure uti volentem, opponendo ei continuam possessionem talis rei, vel juris bona fide factam tempore a lege definito ad præscribendum, seu peremptorie excipiendum, per quam possessionem talem rem, vel jus fecit suum. Et sic accipitur præscriptio toto titulo 26 *De præscriptionibus*, l. ii *Decretal.*, et tit. 6 *Institut.*, De usucapionibus, et longi temporis præscriptionibus, et ff. *De usurpationibus et usucapionibus*.

(4. Unde quamvis nonnulli doctores cum Glossa in l. iii, ff. *De usucapionibus* in hoc distinguant præscriptionem ab usucapione; quod præscriptio proprie sit rerum immobilium, usucapio vero rerum mobilium, quam differentiam etiam Scotus, in 4, dist. 15, quæst. 7, § *De secundo*, supponere videtur, ibi: « Ex hoc dico, quod præscriptio in immobilibus, et usucapio in mobilibus, » etc. (5. tamen hæc distinctio non habet fundamentum in jure, ut patet ex princip. *Institut.* De usucap. et præscript., ubi usucapio etiam ad res immobiles refertur, et ex l. *Unic.*, cod. *De usucapion. transformand.*, ubi sublata est omnis differentia inter usucapionem, et præscriptionem. Nam præscriptio locum habet in rebus mobilibus, cum post illarum usucapionem opponi possit exceptio præscriptionis contra priorem dominum: Covarr., in *Regul. possessor.*, part. 1, § *Unic.*, num. 2 et 3. Unde jam passim pro synonymis accipiuntur hæc nomina *præscriptio et usucapio*.

(6. Hinc præscriptio, seu usucapio definitur communiter a doctoribus, quod sit « acquisitio, seu adjectio domini rei alienæ, vel alieni juris peremptio per continuationem possessionis tempore, et modo a legibus definito. » In qua definitione notanter ponitur *vel alieni juris peremptio*; ad denotandum, quod per præscriptionem, seu usucapionem eliditur etiam jus alienum, seu acquiritur jus aliquod, quod antea alteri competeat, cum etiam jura aliena præscribi possint, ut usufructus, servitus, etc., imo etiam liberatio a debito aliquo.

(7. Præscriptio, seu usucapio fuit primitus introducta per jus civile, et deinde per jus canonicum approbata. Patetque ex l. i et seq., ff. *De usurpationibus, et usucapio-*

nous, et l. i et seq., cod. *De præscription. longi temporis*, cum similibus, ubi plurimæ leges præscriptionem, seu usucapionem introducentes reperiuntur, quæ postea per jus canonicum l. ii *Decretal.*, tot. tit. 26, *De præscriptionibus* fuerunt approbatæ; quod et patet ex c. *Vigilanti* 5. De præscriptionibus: ubi Alexander III, Summus Pontifex, dicit, quod « Ephesinus propter vitandam miserorum segnitiam, et longi temporis errorem, et confusionem, primus trienniali, vel quadragennali præscriptioni vigorem legis imposuit. »

(8. Præscriptio, seu usucapio varias ob justas causas fuit introducta, primo scilicet ob bonum publicum, ne rerum dominia diu, et fere semper essent incerta, textu expresso in lege *Bono publico* 1, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, ibi: « Bono publico usucapio introducta est, ne scilicet quarundam rerum diu, et fere semper incerta dominia essent, cum sufficeret dominis ad acquirendas res suas statuti temporis spatium. » Secundo, ut præcendantur innumerabiles, et perpetuæ lites, quæ cæteris oriri possent; textu expresso in l. *Usucapio* 5, ff. *Pro suo*, ibi: « Usucapio rerum etiam ex aliis causis concessa, interim propter ea, quæ nostra existimantes possideremus, constituta est, ut aliquis litium finis esset. » Tertio, ne rerum possessores prope immortali timore teneantur; textu expresso in l. *Cum notissimi* 7, in princ. cod. *De præscript. 30 vel 40 ann.*, ibi: « Ne possessores ejusmodi prope immortali timore teneantur. » In perpetuo enim timore essent, ne res ab ipsis possessæ evincerentur; unde in præjudicium boni publici fieret, ut nemo auderet fundos colere. Quarto, ut hoc modo segnitias, ac desidia hominum, qui res suas ac jura in judicio persequi negligunt, evacuetur, dum ea puniuntur ademptione domini, juxta l. *Ut perfectius* 2, De annali exceptione, ibi: « Sed sit aliqua inter desides et vigilantibus differentia. » Et cap. *Vigilanti* 5, De præscriptionibus, ibi: « Ephesinus enim propter vitandam miserorum segnitiam, et longi temporis errorem, et confusionem, primus tricennali, vel quadragennali præscriptioni vigorem legis imposuit. » Unde sibi imputare debet negligens; l. *Quod quis*, ff. *De regul. juris*. Jura enim subveniunt vigilantibus, et non dormientibus, ut habetur in leg. *Non enim*, ff. *Ex quibus causis majores*, et leg. *Pupillus*, ff. *De iis quæ in fraudem creditorum*.

(9. Præscriptio, seu usucapio est valida, et licita, nedum in foro externo, sed etiam in foro interno, seu conscientia, adeo ut, qui aliquam rem legitime præscripsit, non teneatur ad ejus restitutionem, nequidem in foro conscientia, quamvis post legitime completam præscriptionem certo cognosca-

rem illam antea fuisse vere alienam. Sic expresse Glossa in cit. cap. *Vigilanti* 5. De præscriptionibus, verb. *Noverit*; Abbas, *ibid.*, n. 6; Fagnan., in cap. *Si quis*, n. 40, De regularibus; Scotus in 4, dist. 15, q. 2, § *De secundo*, et communis aliorum. Et ratio, quam optime adducit Scotus, *loc. cit.*, est, quia translatio domini facta auctoritate legis publicæ justæ, justa, et licita est, sed in præscriptione, seu usucapione legitime completa intervenit talis translatio domini, ergo justa, et licita est etiam in foro interno, seu conscientie. Minor clare patet ex juribus adductis *supra*, n. 7 et 8. Major autem probatur, quia lex justa potuit a principio juste determinare prima rerum dominia, ut in confesso est apud omnes, ergo etiam posterior lex justa de iisdem potuit, et poterit disponere juxta temporum varietatem, et exigentiam, seu necessitatem boni publici, arg. cap. *Sciendum* 1, et c. *Regulæ* 2, dist. 29, ibi: «Regulæ sanctorum Patrum pro tempore, loco, et persona, et negotio, instante necessitate, tradita sunt.» Quod autem præscriptio, seu usucapio introducta sit a lege publica propter exigentiam, et necessitatem boni publici clare, et expresse habetur ex leg. *Bono publico* 1, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, et aliis legibus cum præcisis suis verbis relatis *supra*, n. 8, adeoque, etc. Tum quia non est verisimile, quod sacri canones, qui principaliter salutem animarum considerant, cap. *Novit* 13, De jud.; cap. *Ut animarum* 2, De constitut. in 6, præscriptionis jura approbassent, si effectus eorum conscientie repugnaret.

(10. Ut autem præscriptio, seu usucapio sit legitima, vimque licite, et juste transferendi rerum dominium habeat, requiruntur quinque conditiones a doctoribus in his vulgatis versiculis comprehensæ:

Non usucapies, ni sint tibi talia quinque.
Bona fides, justus titulus, res non vitiosa.
Ut res tradatur, tempus quoque continuetur.

Seu ut alii tradunt:

Nen usucapies, ni sint tibi talia quinque.
Si res apta, fides bona, si titulus quoque justus.
Possideas juste, completo tempore legis.

Unde juxta ordinem horum ultimorum versiculorum expenduntur singulæ conditiones per distinctos paragraphos, majoris claritatis gratia.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(11. Præscriptio jure *Digestorum* nil aliud erat, quam modus excludendi auctorem, ejusque actionem, et quidem vel ideo quod elapso tempore legitimo ageret: sunt enim quibuscunque actionibus præfixa certa tempora, intra quæ institui debebant, quo non facto, actoris intentio præscriptione excludebatur; idque ut finis imponeretur litibus, quæ alias perpetuum habituræ essent effectum in detrimentum reipublicæ; tum etiam ut puniretur negligentia cessantium agere, et jus suum persequi.

(12. Dominium interim præscriptio haud

tribuebat præscribenti, sed hanc effectum tantummodo habebat usucapio, quæ currebat etiam contra negligentes, salva interim quandoque restitutione in integrum. Præscriptio vero haud oberat impeditis, et non negligentibus, leg. 16, cod. *De inofficiis. testament.* Quod et jus canonicum repetiit, cap. 13 et seq., cap. 16, q. 3, cap. 10, 14, 15, *De præscript.*

(13. Quoniam vero præscriptio exceptionem solummodo producebat, et possessionem defendebat, inde quoties reus possessione casu exciderat, rei vindicatione uti, et rem a quovis possessore repetere haud poterat, quem effectum unice habebat usucapio.

(14. At imperator Justinianus in l. un. cod. *De transform. usucap.*, illi præscriptioni, quæ possessionem quamdam qualificatam rerum a reo possessorum continebat, effectum usucapionis tribuit, ut non tantum jus excipiendi, sed etiam agendi reo tribueret; id quod etiam jus canonicum a jure Romano assumpsit, et nonnulla quædam noviter ei addidit.

* Usucapioni opponitur usurpatio. Siculi enim usucapio est modus acquirendi domini: ita usurpatio est interrumpendi dominium, ut patet ex ipsius definitione quæ sic legitur in lege 2, *De usurpat. et usucap.*: «Usurpatio est usucapionis interruptio. Oratores autem usurpationem frequentem usum vocant.» Hæc scilicet loquendi ratione utuntur ad indicandum frequentem usum alicujus rei, v. g. hæc vox in hunc sensum *usurpatur*, videlicet frequenter hac voce in hunc sensum utimur. Longe autem diverso sensu a jurisconsultis accipitur verbum illud *usurpare*, cum aliqua tamen analogiæ similitudine. Usurpatio enim interrumpere significat non vi quidem, et proprietate verbi, sed per consequentiam, ut recte ait Revardus ad XII *Tab.*, tit. *De divortiiis*. Quia nimirum, «si id quod possideo, nec dum tamen usucepti, ab aliquo usurpatur; sive usu, et possessione apprehenditur, id possessionem meam sua usurpatione interrumpit.»

§ I.

Si res apta.

Quoad ea quæ concernunt res quæ possunt præscribi, vel non.

(1. Antequam de rebus, quæ usucapi, vel præscribi possunt, agamus, ordinis ratio postulat, ut de personis agamus, quæ hoc jure uti valent. Cum usucapio sit juris civilis, cujus communionem soli cives habent, hinc sequitur solos cives jus usucapiendi habuisse, non etiam peregrinos, de quo vide *Leges XII Tabularum*, tab. 3, cap. 3. Communicatum tamen postea fuit Latinis, iisque quibus jura commerciorum concessa erant. «Ex civibus autem usucapere potest, scilicet paterfamilias, filiusfamilias, et maxime miles in castris acquisitum usucapiet:» leg. 4, § 1, ff. *De usurpat. et usucap.* Si animadvertatur ad jus anti-

quum civile, quisque procul dubio comparet verbum illud *maxime* additum a Triboniano fuisse. Jure enim *Pandectarum* si filiusfamilias non poterat quidquam proprium habere, nisi quod in castris, sive occasione militiæ acquisiverat, consequens est ut ex ea sola causa potuerit usucapere; ex cæteris causis non ipse, sed pater per ipsum usucapiebat. Jure autem Justiniano cum filiusfamilias acquirat sibi quidquid non ex re patris acquirat, consequens est, ut cum non ex re patris acquirat, ipse usucapiat.

(2. Secundo usucapere potest «pupillus, si tutore auctore cæperit possidere. Si non tutore auctore possideat, et animum possidendi habet, dicemus posse eum usucapere,» d. leg. 4, § 2, puta si sit infante major, ita ut possit intelligere se possidere. Sed neque solum pupillum, verum etiam infans potest usucapere. Licet enim infans, qui ejus ætatis non sit, ut intellectum capiat, si strictam juris rationem sequeremur, nec tutore auctore possessionem acquirere posset; obtinuit tamen, quod «infans possidere recte potest si tutore auctore cæperit. Nam judicium infantis suppletur auctoritate tutoris. Utilitatis enim causa hoc receptum est: nam alioquin nullus sensus sit infantis accipiendi possessionem:» l. 32, § 2, ff. *De acquir. vel amitt. poss.*

(3. Tertio: «Furiosus, quod ante furorem possidere cæperit, usucapit. Sed hæc persona ita demum usucapere potest, si ex ea causa possideat, ex qua usucapio sequitur,» l. iv, § 3, ff. *De usurpat. et usucap.* Hic notandum discrimen, quod intercedit inter personam infantis, et furiosi: ille tutore auctore incipere potest acquirere, iste non. Quamvis enim persona furiosi sit favore digna, ut quamvis ad instar pupilli voluntatem non habeat, possessionem tamen retinere possit, quæ non nisi animo, et voluntate possidendi retinetur, in cæteris tamen licet furiosi similes sint infantibus, communi hoc jure utimur, ut quemadmodum quisquis alius, ita et furiosus demum usucapere possit. Uno casu furiosus etiam inchoare usucapionem poterit. Nam «si servo furiosi, vel infantis res tradita sit, usu per eum eas personas capere posse constat l. 28, ff. *Usurpat.*» Hoc tamen ita si ex causa peculiari res servo tradita sit. Secus si extra hanc causam. «Sed enim, eum, qui suo nomine nihil usucapere potest, ne per servum quidem posse Pedius scribit l. 8, § eod.» Et generaliter de iis, per quos quis usucapere potest, vide textum in l. 7, § 8, *Pro empto*, et in l. 54, § 4, ff. *De acquir. rer. dom.*

(4. Quarto: «Is autem qui apud hostes est, nihil per usum sibi acquirere potest, nec captam possessionem poterit implere, dum est apud hostes. Hoc amplius nec postliminio reversus recuperabit per usum domini acquisitionem,» l. 23, § 1, ff. *Ex quib. caus. maj.* Unde hæc regula generalis profecta est, de qua in l. 118, ff. *De reg. jur.*: «Qui in servitute est, usucapere non

potest. Nam cum possideatur, possidere non videtur.» Quæ diximus de servo obtinent hodie de filiofamilias. Hinc oritur quæstio, an saltem per filios suos, aut servos usucapere possit, de qua textus est in leg. 44, § 7, ff. *De usurpat. et usucap.*

(5. Quinto, hæreditas jacens non poterit usucapi, si juris communis rationem sequamur, maxime si a defuncto inchoata non fuerit, l. 45, § 1, ff. *De usurpat. et usucap.* Nam si defunctus acquisivisset possessionem, posset fingi quasi per hæreditatem suam sibi superstes eam continuare. Sed si eam non acquisivit, qui poterit videri possedisse si strictam juris rationem sequamur? cum mortuus sit, antequam acquireret possessionem, nihil autem post mortem suam acquirere potuerit. Aliter tamen jure singulari obtinere docet Papinianus in l. 44, § 3, ff. eod. Maxime vero «cæptam usucapionem a defuncto posse, et ante aditam hæreditatem impleri constitutum est, l. 40, ff. eod. Igitur post mortem ejus, qui hominem emerit, expleto tempore, quod defuisset ad usucapionem, quamvis eum hominem hæres possidere non cæpisset, fiet tamen ejus: sed ita hoc si nemo eum possedisset, l. 6, § 2, ff. *Pro emptore.*» Quamvis autem nemo possidet, potest fingi defunctus quasi sibi superstes continuasse possessionem, et eam sine ulla interruptione ad hæredem suum transmisisse. Hoc autem fingi non potest, si alius interim possederit: duo enim in solidum non possunt possidere. Insuper supradicta obtinent, etsi illi, qui nomine defuncti in possessione erant, discesserint: l. 3, ff. *Pro emptore.*

(6. Omnes res possunt præscribi, seu usucapi, nisi lege aliqua, vel speciali ratione præscribi, seu usucapi prohibeantur: *Communis*, per text. in § 1 et seq. *Instit.* De usucap., et in l. *Longi temporis*, cod. *De præscriptionibus longi temporis* cum similibus, ubi, ut legenti patet, rerum præscriptio, seu usucapio conceditur indistincte, aliquibus duntaxat rebus postmodum exceptis.

(7. Definitio, quam hic tradit auctor, rerum quæ usucapi possunt, nimis generalis est; indiget propterea declaratione, semper tamen spectato *Pandectarum* jure, cum, quæ canonici juris propria sunt, satis ab auctore allata sint. Quapropter «usucapionem recipiunt maxime res corporales, exceptis rebus sacris, sanctis, publicis populi Romani, et civitatum, item liberis hominibus,» l. 9, ff. *De usurpat.* ut etiam infra fusiis. Usucapiuntur non solum res mobiles, sed et res soli, sive sit domus, sive ager, sive fundus, non tamen possessiones. Hinc Javolenus in l. 115, ff. *De verb. signif.*, quæstionem de hoc proponit, et definit. Ita ille: «Quæstio est, fundus a possessione, vel agro, vel prædio, quid distet? Fundus est omne quidquid solo tenetur. Ager est, si species fundi ad usum hominis comparatur. Possessio ab agro juris proprietate distat: quidquid enim apprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec

potest pertinere, hoc possessionem appellamus. Possessio ergo usus, ager proprietatis loci est. Prædium utriusque superscriptæ generale nomen est: nam et ager, et possessio hujus appellationis species sunt. » Ex definitione possessionum satis liquet eas usucapi non posse. Cum enim sint res, quarum proprietates, seu dominium ad nos pertinere non potest, sequitur usucapionem, quæ nihil aliud est, quam adeptio, seu adjectio domini, in eas cadere non posse. Talia erant prædia provinciarum, quæ jure Italico non gaudebant, et quæ ideo jure *Pandectarum* non potuisse usucapi constat ex *Institutionibus* hoc titulo.

(8. *Incorporales res traditionem, et usucapionem non recipere manifestum est*, l. 43, § 1, ff. *De acquir. rerum domin.* Cum tamen prudentes usum in servitutibus pro ficta quadam possessione acciperent, quamdam etiam servitutem usucapionem excogitaverunt. Hinc factum est ut servitutes non quidem ex natura sua, nec ex *Legibus XII Tabularum*, quæ de his tacuerant, sed fictionis auxilio, et ex jure, quod auctoritas prudentum constituerat, usucapi possent. Unde Aggenus Urbicus ad Frontonem: « Iter capitur usu, quod in usu biennio fuit. » Hoc jus adhuc vigeat Ciceronis temporibus. Ita enim ille in oratione pro Cæcinnâ, « Fundus a patre relinqui potest: at usucapio fundi, hoc est finis sollicitudinis, et periculi litium non a patre relinquitur, sed a legibus. Aquæ ductus, haustus, iter, actus a patre, sed rata auctoritas harum rerum omnium a jure civili sumitur. » Cum autem nec servitutem usucapio a germanis juris principis abhorreret, hanc abrogavit lex Scribonia Tiberii temporibus lata, ut censet Revardus, de qua sic Ulpianus in l. 10, § 1, ff. *De usucap.*, etc.: « Hoc jure utimur, ut servitutes per se nusquam longo tempore capi possint, cum ædificiis possint. » Scilicet quando usucapione prædium dominans acquiri, simul et jura huic prædio debita, quæ nihil aliud sunt, quam ipsius prædii qualitates, acquirere manifestum est, et vice versa usucapendo prædium serviens, tanquam ab omni servitute liberum, simul, et libertatem earum servitutem me usucapere. Enim vero *libertatem servitutem* (prædiorum urbanorum) usucapi posse verius est, quia eam usucapionem sustulit lex Scribonia, quæ servitutem constituebat, non etiam eam, quæ libertatem præstat sublata servitute. Itaque si cum tibi servitutem deberem, ne mihi puta altius liceret ædificare, et per statutum tempus altius ædificatum habuero, sublata erit servitus, » l. 4, § 29, ff. hoc tit. Addidi in textu prædiorum urbanorum. Nam usucapione opus non habet dominus prædii rustici, ut libertatem sui prædii acquirat, cum servitus rustica solo non usu amittatur. At in servitutibus urbanorum prædiorum necesse est, ut aliquo facto dominus prædii libertatem sui prædii usucapiat.

(9. Quamvis res civitatum usucapi non possint, ut supra notatum fuit, nihilominus

« viginti annorum præscriptio etiam adversus rempublicam prodest ei, qui justum initium possessionis habuit, nec medio tempore interpellatus est; actio tamen quanti ejus interest adversus eos reipublicæ datur, qui ea negotia defendere neglexerunt. » Ita docet Paulus, *Recept. sent.*, lib. v, tit. 2, § 4, et l. 9, ff. *De divers. temp. præscr.* « Rescriptis quibusdam divi magni Antonini cavetur, ut in rebus mobilibus locus sit diutinae possessionis præscriptioni. » Neque hic Marcianus de aliis mobilibus rebus intelligit, nisi de rebus ad civitatem pertinentibus. Nam in rebus privatorum superflua esset, cum illa usucapionem recipiant, l. 2, cod. *In quib. caus. cessat. long. temp. præscript.* « Longæ possessionis præscriptionem, tam in prædiis, quam in mancipiis locum habere manifestum est, » quæ mancipia his prædiis ascripta sunt. Hæc enim possunt cum his prædiis longo tempore præscribi, at non separatim, l. 7, cod. *De agr. cens.* Ita Struvius et Wissenbachius. Nota etiam in hac lege hystero-logiam *tam in prædiis, quam in mancipiis*, id est tam in re accessoria, quam in principali, quæ traiectiones in *Pandectis* non infrequentes deprehenduntur. Ususfructus, et cæteræ servitutes sive personales, sive reales hac longi temporis præscriptione acquiruntur, ut fusius notandum infra opportuniore loco.

(10. Quoniam sermo factus est præscriptionis viginti annorum; inopportunum non erit recensere breviter seriem aliarum præscriptionum, quæ longioris temporis spatium requirunt. Et quidem primo occurrit præscriptio triginta annorum, de qua vix dubitari potest, quin fuerit auctor Theodosius Junior in l. 8, cod. *De præscr. triginta ann.*, quamvis Cujacius dissentiat observat. 18, cap. 26. Nititur quippe laudatus auctor novella 8 præsertim Valentiniani III, in qua Theodosius, quem patrem suum appellat, hujus præscriptionis auctor dicitur. *Patris* autem nomine non appellaret Theodosium Juniorem collegam suum: sequitur ergo, ut, ex more, quo imperatores decessores suos patres appellant, hoc nomine intelligatur ipse Theodosius Magnus. Verum respondet Jac. Gothofredus, ipsum Theodosium Juniorem recte a Valentiniano patrem appellatum, quem scilicet, et socerum, et auctorem imperii habebat, maxime cum dominum patrem, utpote adhuc superstitem eum dicat, non divum, ut moris erat in decessoribus. At vero quisquis ille Theodosius hujus præscriptionis auctor sit, hinc saltem liquet leges 1 et 2, cod. *De præscript. trigint. annor.*, quarum una Diocletiani, et Maximiani nomine inscribitur, altera Valentis, et Valentiniani, perperam huic codicis titulo insertas, nec de ejusmodi præscriptione agere potuisse, quæ nondum introducta fuerat. Sed intelligenda supradicta lex prima de longi temporis præscriptione, lex autem secunda de præscriptione sexaginta annorum, quam introduxerat Constantianus per legem cujus pars exstat in l. fin., cod. *De præ-*

script. long. temp. quæ pro libert. Ita recte Cujacius dicto loco observat. 18, 27.

(11. Locum habet, quoties usucapio, aut longi temporis præscriptio locum habere non potest, vel propter rei vitium, quæ furtiva, aut vi possessa foret, vel propter defectum tituli, aut bonæ fidei in possessione, tueturque possessorem per exceptionem, quam ei tribuit adversus dominum, qui hanc rem vindicaret. Porro ex hac noviter introducta præscriptione sola exceptio datur, non utilis in rem actio, nisi possessio fuerit bonæ fidei. Sin minus, et possessor possessione exciderit, non ipse, quod valde notandum est, rem illam vindicare, sed prior dominus, aut creditor, cui res ab initio obligata fuerat, hæredesve eorum, rem illam adversus novum possessorem persequi possunt. Et quidem licet jam fuissent a veteri possessore repulsi, per exceptionem præscriptionis triginta annorum, l. 8, cod. *De præscript.* Cæterum hæc præscriptio currit adversus omnes etiam feminas, milites, absentes reipublicæ causa, minores viginti quinque annis, non tamen adversus pupillos. Accommodatur quoque adversus judicium tam universalis quam mista, et adversus actiones personales, quæ ante ex contractibus provincialibus perpetuæ erant, ex contractibus Italici anni utilis exceptione excludantur, quæ annalis exceptio a Justiniano sublata est, vide supradict. l. 3, cod. *De præscript. trigint. ann.*, et l. 1, cod. *De annual. except.* Non tamen locum habet triginta annorum præscriptio adversus hypothecariam actionem, eum res ab ipso debitor possideretur d. l. 3, cod. *De præscript. 30 ann.*

(12. Anastasius postea præscriptionem quadraginta annorum invenit, ex quo sequitur de hac præscriptione non agi in l. 2 *Cod. Theod.*, *De long. temp. præscript.* in qua pro quadraginta reponendum viginti, ut recte Cujacius observat. 18, 28. Hac præscriptione imperator voluit excludi omnes actiones, quæ præscriptionem triginta annorum effugiebant, sive jus privatum spectarent, sive jus publicum: l. 4, cod. *De præscript. triginta ann.* Uterius huic præscriptioni subjacere actionem hypothecariam, quæ adversus ipsum debitorem datur, declaravit Justinianus, l. 7, cod. *cod.* Hac nihilominus actione tutos esse voluit possessores fundorum patrimonialium principis, item fundorum templorum paganorum, qui publici juris facti fuerunt, item et fundorum agonotheticorum, id est qui in usus publicorum certaminum destinati fuerant, l. 5, l. 6, cod. *De præscript. triginta ann.* Nulla etiam præscriptione quis defenditur adversus eum, cujus nomine est in possessione, l. 2, cod. *De præscript. triginta, vel quadraginta ann.*

Justinianus ecclesias, et alia pia loca a persecutione eorum, quæ ipsis relicta sunt, submoveri vetuit illius temporis præscriptione præterquam annorum centum, l. 23, cod. *De sacros. eccles.* At jure novellarum quadragenaria præscriptio submoventur, novell. 131, cap. 6. Constituit etiam Justi-

nianus, actionem in judicium deductam, quam quis non persequeretur, perpetuari usque ad quadraginta annos ex die novissimæ cognitionis, l. fin., cod. *De præscript. trigint. ann.* Circa omnes istas præscriptiones observandum, cum contractus diem, aut conditionem habet, non currere eas, nisi ex illa die, aut conditione, l. 6, cod. *De præscript. triginta annorum.*

(13. In specie autem præscribi, seu usucapi non possunt homines liberi, quia nullo tempore præscribi potest, ut homines liberi fiant servi, licet possessores bona fide illos emerint, putantes esse servos. *Communis*, per text. in § *Sed aliquod, Institut.* De usucapionibus, l. *Usucapionem* 9, ff. *De usurpationibus*; et l. ultim. cod. *De longi temporis præscriptione, quæ pro libertate*, ubi dicitur contra libertatem hominis non præscribi etiam tempore sexaginta annorum.

(14. E contra tamen possunt homines servi præscribere libertatem contra dominos, si spatio viginti annorum bona fide se gesserint pro liberis, etiam sine titulo libertatis, *Communis* per text. in cit. l. *Ultim.*, cod. *De longi temporis præscriptione, quæ pro libertate*, et Glossa, *ibid.*, verb. *Bona fide*, et verb. *Per* 26. Hoc enim statutum est favore libertatis, cum libertas hominis connumeretur inter causas favorabiles, cap. ultim. *De sent. et re judicat.*; adeoque possunt homines servi præscribere libertatem contra dominos, et non domini præscribere servitutem contra homines liberos, quia, cum servitus sit quid odiosum, et libertas quid favorabile, currit reg. 15 *Jur. in* 6, quod « odia restringi, et favores conveni ampliare. »

(15. Item res sacræ, v. g. Ecclesiæ, jura spiritualia, jus conferendi beneficia ecclesiastica, et hujusmodi nullo tempore a laicis præscribi possunt, cum nec talia a laicis possideri valeant. *Communis* per text. in cap. *Causam* 7, *De præscriptionibus*, et *Usucapionem* 9, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, et § *Sed aliquando, Institut.* *De usucapionibus*, cum similibus.

(16. Dicitur autem notanter a *laicis*, quia ecclesiæ quoad proprietatem ab uno prælato ecclesiastico contra alium, et jura spiritualia possunt sine dubio præscribi a clericis, aliisque personis ecclesiasticis. *Communis*, per text. in cap. *Placuit* 1, cap. *De quarta* 4, cap. *Ad aures* 6, cap. *Auditis* 15, et cap. *Cum olim* 18, *De præscriptionibus*, cum similibus.

(17. An autem possit dari, et valeat præscriptio contra onera, et fundationes beneficiorum, et contra onus, et numerum Missarum? Variant doctores. Posse enim præscribi contra onera, et conditiones fundationum tenent multi cum Layman, lib. III, sect. 3, tract. 1, cap. 8, n. 17; et Pasqualig., *De sacr.*, q. 1192. Similiter præscribi posse contra onus, et numerum Missarum docent Pasqualig., quæst. 1192 et seq.; Tamburin., in *Method. celeb.*, lib. III, cap. 7, § 1; Pellizarius, tract. 5, cap. 9, n. 92, testans viros doctos a se consultos esse ejusdem mentis; Thomas Hurtad., *De residentia*, c. 1, lib. VI,